

euangelio, vel in A& Apostolorum non fit mentio de materia, & forma huius sacramenti: tum, quia multa fecit Christus quæ non sunt scripta, ut dicitur Ioã. c. ult. tum, quia formæ sacramentales, & alta, quæ in sacramentis exiguntur, occultanda erant in primitiua Ecclesia propter irrationes gentium, vt Dionysius dicit: Secus autem est de baptismo, qui est sacramentum necessitatis, ita Turrecrem. in c. de his, de consec. dist. 5. Asten. lib. 4. titu. 7. att. 1. Petri. de Palud. de sac. confirmat. vel dic fuisse institutum in cæna, quando consecravit chrisma: ita habetur in cap. litteris, de consecr. distinctio. 3.

5 Circa tertium, an hoc sacramentum sit necessarium ad salutem; dico breuiter, quod duplex est necessitas salutis, vna, sine qua non potest haberi finis, ut homo non potest viuere sine nutrimento, & alia, sine qua non habetur finis ita conuenienter, sicut equus dicitur necessarius proficisci uolenti, & medicina, ad hoc quod aliquis bene uiuat. Et quidem secundo modo confirmatio est necessaria, non primo. Nam & sine ea potest fitate conditionata, sic enim vocat Diuus Bonau. in 4. scilicet pugnanti. nam cum homo militet quotidie inter hostes inuisibiles, per hoc sacramentum confirmationis confirmatur, & corroboratur, & miles efficitur contra agones, & insidias diabolicas, vnde fortior est ad resistendum insidiis diabolicis, qui est baptizatus, & confirmatus, quam bapuzatus duntaxat, vt tangit Panorm. in c. quanto, de consecr. Vnde dicit cap. vt ieiuni, de consecr. dist. 5. vnum singulare verbum perpetuo menti tenendum, quod nunquam erit Christianus nisi in confirmatione episcopali, fuerit confirmatus. Et glo. in c. responsio, de sent. excommunic. dicit, quod pontifex christiani, non est perfectus Christianus, nisi in confirmatione episcopali, fuerit confirmatus. Et glo. in c. 2. de consecr. dist. 5. dicit, quod confirmatio est necessaria ad salutem, si ex contemptu omit-

titur. Vt igitur pleni Christiani inueniantur, omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post baptismum accipere debent. Pleni inquam plenitudine in abundantia, siue in robore. nam plenitudine sufficientiæ, pleni sunt Christiani in baptismo. Et sic plenitudo Christianæ gratiæ est duplex. Sufficientiæ, & illa datur in baptismo, & abundantiæ siue in robore. & illa datur in confirmatione. Ex his igitur cõclude, quod gratia confirmationis est necessaria ne cessitate conditionata. Itẽ ex ordinatione Ecclesiæ, vnde si quis cum habet locum, tempus, & opportunitatem, negligendo contemnit, peccat mortaliter. Et hoc de adulto. nam puero sufficit baptismus, de consecr. dist. 4. cap. quæris. ita glo. in c. 1. de consecr. dist. 5. Rursum sacramentum confirmationis videtur necessarium in casu, vbi imminet periculum persecutoris, coram quo fides est cõfitenda, & habetur copia ministri valentis, & volentis conferre. Quare qui in tali casu renueret sacramentum confirmationis accipere, peccaret mortaliter. Vnde A&. 1. dictum est Apostoli. Seditate in Ciuitate, donec induamini uirtute ex alto. Quamuis enim Apostoli haberent gratiam baptismalem, tamẽ eis Christus prohibuit, ne se exponeret periculo publicæ confessionis, quousque essent confirmati. Multo autem minus alii hoc debent. Vnde propter hoc dicit Melchias des Papa, quamuis continuo transiurus sufficiant regenerationis beneficia, uisitis tamen necessaria sunt confirmationis auxilia, c. 2. de consecr. dist. 5. Et ratio est secundum Dur. quia, quando effectus est necessarius, & causa est necessaria, sed effectus confessionis fidei, scilicet consistere fidem tempore persecutoris est necessarius ad salutem cuilibet fidei, Rom. 10. Corde creditur, & c. ergo & sacramentum confirmationis est necessarium in tali casu, si habeatur copia conferentis. Turrecrem. in c. 1. de consecr. dist. 5. Sed circa suscipientes confirmationem, sciendum est, quod omnibus hoc sacra-